

BISTRIȚA / BISTRITZ, NÖSEN / BESZTERCE

1539.12.20

Keywords: 1.4. guests, weddings, engagements

Senatus decretum super celebrandis nupciis ac solemnitatibus ac cerimoniais earundem Sabbatho in vigilia Beati Thome apostoli in congregacione seniorum centumvirorum senatusconsulto dominus iudex unacum iuratis ac praetractis senioribus universis de negociis publicis ac privatis pro communi publicoque commodo istius civitatis advigilantes magnum damnum huic civitati et incolis universis accrescere cognoverunt ex abusu malo ceremoniarum nupcialium, dissensioso et inutili sumptu quod insania //24r// illa ac tumultuario conviviorum usque in triduum protrahi solita sit, ideo decreto firmissimo deinceps in posterum perpetuis succesivis temporibus statuendo servando concluderunt et administraverunt, quod omnes nupcie matutino tempore ad prandium scilicet celebrari debent, cum huiusmodi observacionibus, quod tempus conviviorum et finaliter nupciarum omni terminis non ultra secundam horam pomeridianam protendatur, hora namque secunda post medianam terminus esse debet. Ultra quem omnes homines cuiuscunque status et condicione fuerunt vel eciam consanguinei, propinqui vel agnati in domo nupciarum remanere non debent, nec ibi reperiri, sive sit famulus vel puella, sed unusquisque sese ad propria post tactam secundam conferre debet. Is enim terminus omnium nupciarum ceremoniarumque earundem et conviviorum statutus est, illo denique vesperi vel altero sequenti die nullum in domo sponsi sponse convivium celebrari debet, nec fratres, parentes, agnati, affines, cuiuscunque status fuerint, ibi reperiantur. Quicunque vero hanc legem transgressus fuerit, pena irreversibili in una marca argenti punietur.

Aliud in eodem negocio observandum statutum atque decretum est, quod in celebracione nupciarum ad unamquamlibet mensa tantum unus famulus vel servitor adiungatur, quicunque ergo nupcias celebrandas pluros uno uni mense apposuerit in uno floreno irreversibiliter puniendus est.

Aliud in eodem statutum est quod puelle sponsam ad ecclesiam comitantes non plures assumantur quam in una mensa consedentes comprehendi possunt, quicunque ergo plures assumpserunt, uno floreno punietur, hoc quilibet publice proclamatum sibi dictum esse existimet, nec ullam excusacionem deinceps formam sicubi excesserit sibi repositam reputet.

Aliud statutum, quod famuli quicunque sunt, qui altero die proximo post nupcias a laboribus feriari inventi fuerint, hi de facto et sequentes dies septimane feriari habeant.

CJ POB seria I, nr. 1r-1v, CJ POB seria III, a2, 23v-24r

